

te abreptus ab eodem Davide hoc ultimo est maectatus honore. 2. Sam. III. v. 33. 34. refertur carmen ipsum in laudem Abneri dictum, ita sonans:

*An morte stulti mortuus est Abner?*

*Manus tue non fuerunt ligatae,*

*nec pedes tui compedibus aeneis fuerunt admoti;*

*Sicut corruit quispiam coram impiis, corruisti.*

Hæc verba a Davide apud sepulchrum esse dicta, antecedentia hujus Carminis monstrant dilucide, quando ibi v. 32. dicitur, Regem Davidem post lectum incedentem, vocem suam sustulisse, ac apud sepulchrum Abneri flevisse, & lamentatum esse. Talia carmina ad tumulum prolata Latinis epitaphia nominantur, uti videre est apud Pitisc. in Epitaphium. Post hæc additur, quod universus simul fleverit populus, & audito Regis lamento adhuc largius lacrymaverit. Hoc vero epitaphium in libro conscriptum esse, testatur Josephus Lib. VII. Antiquitat. Jud. Cap. I. p. 215. *Θάψας δ' αὐτὸν ἐν χεβρωὶ μεγαλυπρεπῶς καὶ ἐπιταφίῃς τε συγγραψάμιν*, *Θρήνης, αὐτὸς ἐπὶ τῷ τάφῳ σὰς πρῶτ' ἀνεκλάυσάτο, καὶ παρέδωκε τοῖς ἄλλοις*, h. e. *Sepelivit eum in Hebron magnifice, conscripsitque lugubres threnos, stans ipsemet super monumentum primus deploravit, ceterisque tradidit, quæ ritum Israelitis receptum innuunt, qui scriptum & recitatum ferale canticum iterarunt, ac præcipientem pro viribus sunt imitati. Eodem modo Jesaias Propheta Hiskiaë obitum quorundam ex sententia deploravit; verba huc spectantia Cap. LVII. v. 1. 2. leguntur:*

*Iustus perit, & nemo est, qui advertat,*

*Et viri pii colliguntur; nemine intelligente,*

*Quod propter malum (venturum) colligatur iustus.*

*Ingreditur in pace, requiescit in cubili suo*

*Quivis; qui ambulavit coram eo.*

Sed sunt certiora, quæ de Josia Rege 2. Paralipp. XXXV, 25. leguntur. Refertur ibi *Feremiam Prophetam lamentatum esse Josiam Regem: omnesque cantores & cantatrices in lamentationibus suis de Josia dixisse, quæ etiam conscripta sunt in*